



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 874. An & qualiter sine consensu alterius innocens ob adulterium ab eo commissum, aut lapsum illius in hæresim ingredi possit religionem aut ordines suscipere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

prof. 1. Sanch. d. 21. n. 13. Castrop. l. c. non obstantē quod filii ex tali copula nati legitimentur per subsequens matrimonium; id enim fit in favorem proli, quæ non deliquit. Sed neque semen femineum necessarium est ad generationem, adeoque nec ad consummationem, ut cum communi contra paucos Sanch. D. 21. n. 11. Gutt. l. c. n. 12. Castrop. l. c. Favente illis Suar. Tom. 2. in 3. part. d. 10. sect. 1. dum asserit ex sanguine à femina ministrato confici generationem.

2. Resp. ad secundum: post consummationem licite factam neuter conjugum altero invito ingredi potest religionem. Factaque ab eo professio est nulla. Est omnino communis & certa per c. 3. b. t. ita ut taliter professus non tantum ad instantiam alterius, sed motu etiam proprio ad sæculum & uxorem redire possit, & eam mortuam ad monasterium redire non teneatur, ut cum communi Abb. inc. 17. h. t. n. 3. Sanch. cit. d. 34. n. 15. Pirh. h. t. n. 19. Wiestn. n. 20. non tamen talis professio caret omni effectu; cum talis inutiliter professus revocatus ab uxore non possit amplius ab ea petere debitum, licet uxori petenti id reddere debeat, sed neque uxore mortua nubere alteri, pro ut utrumque statuitur cit. c. 3. c. 12. cit. eod. ex ea ratione, quod ignorante vel invito conjugē profitens se ad continentiam obligandi intentionem habuisse à jure præsumatur, ut Wiestn. h. t. n. 20. citatis Sanch. D. 34. n. 3. Gonz. in cit. c. 3. n. 1. item Laym. l. 5. rr. 11. c. 7. n. 3. ita tamen, ut, si mortua uxore aliud matrimonium inerat, peccet quidem, matrimonium tamen valeat ad modum matrimonii ab alio contracti cum voto simpliciter castitatis, ut cum Abb. in cit. c. 3. n. 4. Nav. in man. 12. n. 6. Sanch. l. c. n. 5. quin etiam licite illud inire potest cessante illa præsumptione in foro conscientie, dum nimirum invita conjugē profitens non habuit intentionem illam vovendi continentiam seu obligandi se quantum potuit, absolute sed solum servandi eam dependentem à valore professionis suæ. Ut Sanch. l. 7. de matr. d. 34. n. 2. c. 3. Pirh. h. t. n. 16. in fine potest tamen licite ingredi religionem, & valide in ea profiteri. Si à conjugē petierit, & ea libere sine ulla coactione concesserit ad hoc licentiam, & sine hac ingressus est illicitus, & professio subséquuta invalida, procederetque adhuc hanc necessitatem obtentæ licentiæ ad ingrediendum religionem, etiam si mutuo consensu continentiam voverint conjuges, cum Sanch. l. c. n. 6. asserit Pirh. h. t. n. 19. illam verò licentiam seu consensum præstitum non præsumi ex eo solum, quod alter conjugem professum non repetat; cum ea non repetitio contingere possit ex alterius ignorantia juris sibi competentis, vel litis vitandæ causâ. Sanch. l. c. n. 15. Pirh. l. c. Sed neque per consensum ex post præstitum ratificatur professio sine illo facta, sed opus est, ne de novo emittatur professio. Sanch. n. 16. Pirh. l. c. quemadmodum etiam ea nova professione opus est post mortem conjugis in vita sua semper contradicentis vel ignorantis, vel si scivit, non reclamantis, quia commodè reclamare non potuit; cum professio ab initio & semper manens irrita ob defectum consensûs aliter convalescere non possit gl. in c. 10. h. t. v. transiens: Sanch. n. 18. Unde etiam professus sine consensu alterius post mortem illius ignoratam remanens in religione, potest dein de ea morte factus certior exire, quia prior professio fuit nulla & nullo modo novo in eam consensu ratificata, ut pote qui ab ignorante

mortem conjugis poni non potuit, ut Sanch. l. c. n. 19. Pirh. n. 20. Secus est de eo, qui, postquam certior factus de ea morte permanit in religione; censetur enim tunc hac sua permanentia tacite ipso facto ratificare professionem; cum, qui cessante impedimento irritante professionem soluto nempe matrimonio per mortem alterius conjugis, perseverat in religione, non possit non videri approbare professionem, si faciat quæ ad tacitam professionem inducendam requiruntur. ita Sanch. n. 20. Zoës in coment. decret. h. t. n. 9. & cum illis Pirh. Ampliatur responsio, ita ut neque conjux post ingressum sine consensu alterius alter possit ingredi & valide profiteri sine consensu prius ingressi, sed possit revocari, quia & illius professio est invalida, sed neque delictum prius professi, quod commisit profitendo sine licentiâ conjugis dat alteri conjugi jus se separandi à conjugē prius professo; cum non sit delictum, ob quod licitum divortium, aut permissum ingredi religionem. Ac insuper prius ingressus propria auctoritate possit redire ad alium relictum in sæculo, aut etiam ad secundò ingressum sine suo consensu, qua potestate nullibi in jure reperitur privatus. Sanch. n. 33. Zoës n. 10. Pirh. n. 21. Quod si tamen uterque conjux simul ingrediatur religionem & profiteatur non obtentâ mutuâ licentiâ, utriusque professionem videri validam, ita ut neuter alterum revocare possit; eò quod neuter conqueri possit se ab altero spoliatum, dum ipso facto censentur sibi mutuò dedisse licentiam, tradunt iidem Sanch. n. 24. Zoës. n. 8. Pirh. l. c. quod tamen iidem procedere volunt, si uterque fuerit conficius professionis alterius; secus, si uterque fuerit inficius professionis alterius; eò quod tunc neutra professio sit valida; quia neuter habuit consensum alterius, adeoque uterque exire potest à religione & alterum repetere.

Quæst. 874. an & qualiter sine consensu alterius innocens ob adulterium ab eo commissum, aut lapsus illius in hæresim ingredi possit religionem, aut ordines recipere.

1. **R** Esp. Ad primum: potest conjux innocens & in ea irrevocabiliter profiteri, etiam emandato adultero, Abb. in c. 15. h. t. n. 2. Barbos, ibid. n. 2. citans plures Aios. Sanch. de matr. l. 10. d. 11. n. 2. Pirh. h. t. n. 33. cum communi juxta cit. c. 15. c. 16. juncto can. 21. caus. 27. q. 2. c. can. 2. caus. 32. q. 1. etsi enim ob adulterium carnale quò ad vinculum non solvatur matrimonium, perdit tamen adulter omne jus conjugale quòd torum & cohabitationem, quo solo impediatur innocens altera parte invitâ ingredi religionem. Unde etiam is manens in sæculo potest edere votum simplex castitatis, quia adulter non habet amplius jus exigendi debitum. Sanch. l. c. n. 3. Laym. l. 4. rr. 4. c. 7. n. 12. Pirh. l. c.

2. Resp. ad secundum: pari modo potest conjux innocens in sæculo remanens altero invito suscipere sacros ordines, nisi obster aliud. Vg. quia vir est bigamus vel irregularis; quia in utroque par est ratio. nempe quòd adultera omne jus conjugale amiserit, & ita communiore & probaliore contra Innoc. in c. veniens. h. t. & ibid. Jo-and. n. 4. Host. n. 8. c. 9. docent gl. in c. constitutus. h. t. v. ad gradum Abb. ibid. n. 4. Sylv. v. divortium. q. 17. n. 20. Nav. l. 4. de sponsal. cons. 23. n. 6. Sanch. l. c. n. 16. Pirh. h. t.

n. 34. Barbos. *inc. 15. h. t. n. 3.* citatis pluribus aliis. Sed neque innocens dum jam professus aut sacris ordinibus initiatus fornicationem commisit, propterea revocari potest aut de monasterio extrahi, quia jus acquisitum monasterio non perditur ob delictum monachi. ut Host. *inc. 17. h. t. n. 6.* Butr. *n. 7.* Anchar. *n. 5.* & alii, quos refert & sequitur Sanch. *cit. L. 10. n. 9. n. 34.* apud Barbos in *idem c. n. 5.*

3. Nihilominus limitanda utraque responsio, ut procedat, si sententia divortii præcesserit, vel adulterium sit publicum & notorium; quo casu innocens etiam non expectatâ sententiâ divortii propria authoritate deserere potest cohabitationem adulteræ, sine metu revocationis, utpote hanc facultatem habens à deo *can. 7. caus. 32. q. 1.* Christo *Matth. 19.* dicente, uxorem dimitti non posse, nisi ob fornicationem, secus, si adulterim saltem quò ad forum externum sit occultum; quia tunc, ut ingredi possit religionem, vel sacros ordines suscipere, requiritur sententia divortii præcedens, ita ut, si eâ non expectatâ ingressus sit religionem, in foro externo restitui debeat adultero non obstante exceptione adulterii. ita Pirh. *n. 32.* citans Abb in *c. constitutus n. 4.* & Sanch. *cit. d. 11. n. 5.* & 10. Item Reiffenst. *h. t. 28.* dicens sic tenere omnes.

4. Notandum quoque, quod attinet adulterum, eum sine expressâ vel tacita licentia innocentis etiam post institutum divortium non posse ingredi religionem aut sacros ordines recipere; quia innocens jure, quod habet revocandi nocentem, eique cohabitandi invitatus privari non debet per ejus ingressum in religionem, Sanch. *L. 10. d. 10. n. 12.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 12.* apud Pirh. *n. 35.* iis consentientem. Poterit tamen id ipsum cum licentia innocentis remanentis in sæculo & absque eo, quòd votum simplex castitatis emittat. laudabiliter quoque faciet non tantum concedendo hanc licentiam, sed etiam eam, Postea ad frugem melioris vitæ conversam recipiendo ad cohabitationem & usum matrimonii, idèdque de hoc monendus ab Episcopo, licet ad id compelli nequeat. ut arg. *c. significasti. de divortiiis.* & *c. Gaudemus 19. h. t. gl. ibid. V. ceciderunt.* Et Abb. *n. 3.* & 4. Pirh. *h. t. n. 36.* & si innocens post talem monitionem noluerit recipere adulteram, eam monasterio includendam ad perpetuam ibi penitentiam, dicitur *cit. c. gaudemus* & *ibi. gl. V. in clausuris.* quod ipsum ferè jure civili in *auth. sed hodie c. ad. leg. jul. de adulteris* statuitur; quamvis Pirh. *n. 37.* addat, quòd; si innocens semel iterumve de hoc monitus nolit recipere adulterum emendatum irrevocabiliter is possit ingredi religionem, aut ordines sacros recipere; eò quòd tunc innocens videatur tacitè concedere licentiam, aut saltem irrationabiliter eam negare. ita Pirh. citans Sanch. Verum non video, qualiter ille tacitus consensus ex illa monitione etiam iterata inferri aut præsumi possit, dum post monitionem eum negat, aut nullo signo alio se illum præstare indicat, & quomodo irrationabiliter eum neget, si jus ad eum negandum habeat, & hoc suo jure utatur, nisi fortè hic & nunc caritas aliud urgeat, ne Vg. negato hoc consensu & receptione vagæ libidini aliisque periculis exponatur adulter, quòd tamen præsumi non poterit, si constet illum emendatum ad honestè vivendi rationem transiisse.

5. Resp. ad tertium: commisso adulterio spiritali, seu uno conjugum lapsò notorie in hære-

sin, vel per sententiam legitimam Judicis Ecclesiastici declarato hæretico, potest alter in vera fide persistens etiam propria authoritate se ab eo permanente pertinace separare quò ad cohabitationem & torum; quin & ad hoc tenetur jure naturali ac divino, si periculum perversionis sibi vel liberis immineat juxta illud Apostoli ad *Timum 3. hominem hæreticum post unam & secundam correptionem* (quæ propterea præmittenda divortio) *de vita* pro ut constat ex *c. 5. & sequens caus. 28. q. 1. & c. ult. h. t. c. 6. & seq. de divort.* & tradunt cum communi Sanch. *de mat. L. 10. d. 15. n. 5. 6. & 10.* Barbos. ad *c. ult. h. t. n. 3.* Pirh. *h. t. n. 35.* quin etiam taliter separatam à conjugè sententiâ Ecclesiæ de hæresi condemnato, etiam postquam hic ab hæresi sua reversus, non tantum liberatur ab obligatione reddendi debitum Arg. *c. ult. de hære.* Sed etiam potest religionem ingredi & in ea irrevocabiliter profiteri prout lumen ex *c. ult. h. t.* aut sacros ordines suscipere Arg. *c. constitutus. h. t.* ita Pirh. *h. t. n. 39. juncton. 40.* quin etiam posse innocentem remanere in sæculo & vivere separatam absque eo, quòd damnatum de hæresi ab ea resipiscentem cogatur recipere ad cohabitationem & torum, pro ut deciditur in *c. de illa. de divortiiis.* & satis apertè colligitur ex *c. ult. h. t.* dum ibi in hoc casu concedendo parti innocenti facultatem liberè transeundi ad religionem, relinquuntur optio & electio vel intrandi religionem, vel separatim à conjugè hæretico resipiscente vivere in sæculo. & ita tenent Sanch. *cit. d. 15. n. 19.* Laym. *L. 5. tr. 10. c. 7. §. contrariam.* Pirh. *n. 41.* Verum tamen sub hac distinctione, ut hæc procedant, si divortium seu separatio facta authoritate Ecclesiæ per latam sententiam. Secus verò, si facta authoritate propria, ita ut tunc conjux Catholicus conjugem hæreticum revertentem ab hæresi teneatur mox recipere ad consortium conjugale & ad id compelli possit ac debeat, quòd intelligendum videtur absque eo, quòd hanc receptionem superflugere possit per ingressum in religionem, an vero, dum unus conjugum damnatus de hæresi, & alter de commisso adulterio, delictum cum delicto compensari possit, adeoque adulter ad hæreticum emendatum & de contra recipiendum compelli possit, non ita convanit inter AA. affirmant Abb. *inc. ult. h. t. n. 5.* & Jo-and. *ibid.* negant de contra hanc compensationem probabilis Sanch. *de matr. L. 10. d. 16. n. 3.* Pirh. *n. 43.* eò quòd causæ instituendi divortium ob adulterium sint omnino diversæ rationis, dum causa faciendi divortii ob adulterium sit fides conjugalis violata & injuria facta conjugi dividendo carnem in aliam, adeoque divortium institutum directè ac principaliter in favorem innocentis, causa & jus instituendi divortii ob hæresin sit injuria dei, propter quam tanquam pena infligitur divortium & sic non principaliter & directè in favorem innocentis, unde potius conjux hæreticus resipiscens videtur deobligatus à receptione adulteri emendati, quam hic emendatus à receptione hæretici resipiscens. De cætero ut persistens in fide conjux post reditum conjugis damnati de hæresi licitè ingrediatur religionem, non requiritur, ut conjux hæreticus conversus eam quoque ingrediatur, aut votum continentiæ in sæculo emittat.

Tum quia neque Hæretico converso per ingressum illum fidelis inferri debet vis aliqua; neque etiam fidelis impediri, quod minus liberè ingredi possit. cum ei hæc libertas concedatur. *cit. c. ult. h. t.* impediri autem posset & libertas hæc constingeretur, si ad licitum ejus ingressum requireretur alterius quoque ingressus, cum hic posset nolle ingredi, & requireret ad hoc cogi. *Sanch. cit. d. 15. n. 22. Pirh. n. 42.*

Quest. 875. an post ingressum conjugis in religionem conjux alter remanens in sæculo possit transire ad secunda vota, an verò teneatur edere professionem aut saltem votum castitatis, & quando illud sufficiat.

1. Resp. ad primum: Sicut indubitatum est post matrimonium ratum tantum ingrediente uno religionem alterum manentem in sæculo posse transire ad secunda vota juxta dicta supra *q. 1. h. t.* & prout expressè statuitur *c. 2. h. t.* ita tamen, ut expectare cogatur, donec anno novitiatus elapso alter emitat professionem, utpote per quam & non ante quam solvitur matrimonium, relicta manenti in sæculo omni libertate. Sic omnino certum est, post matrimonium consummatum id eum non posse; quia illud post consummationem per professionem solvi nequit.

2. Resp. ad secundum: Præter obtentam conjugis licentiam, ut alter licitè ingrediatur, religionem & profiteatur, requiritur necessariò, ut concedens licentiam ingrediatur quoque religionem, ibique profiteatur; si juvenis est vel senex quidem, sed periculo incontinentiæ expositus. Ita juxta claros textus *can. 19. & 21. caus. 27. q. 2. c. 8. & 13. h. t.* item *c. 4. & ibi. Abb. n. 1. Fagn. an. 7. Sanch. de mat. L. 7. d. 3. n. 2.* dicens esse communem & certissimam. *Pirh. h. t. n. 10. Reiffens. n. 12.* ita tamen ut professio, remanente in sæculo suspecto de incontinentia cum solo voto castitatis, non sit invalida, sed tantum illicita. *Sanch. Pirh. loc. cit. Barbol. inc. 8. h. t. n. 2. citatis Azor. Inst. mor. p. 1. L. 1. c. 1. q. 6. Henriq. in sum. L. 1. c. 8. n. 9. Nav. h. t. conf. 14. n. 3. & alii;* eò quòd ad substantiam professionis alterius quoque ingressus non requiratur, etiam in casu, ubi alter est juvenis & de incontinentia suspectus, sed solum ad hoc, ut professio fiat licitè, ut *Pirh. quin & valebit professio, etsi remanens in sæculo juvenis, & de incontinentia suspectus, modò ab eo licentiam habeat proficiens, votum nullum castitatis expressè emiseric. Abb. in c. 8. h. t. n. 5. Sylv. v. matrimonium 8. q. 13. dicto 4. Sanch. de matr. L. 7. d. 33. n. 4. Barbol. l. c. n. 3. Henriq. l. c. Gut. de matr. c. 95. n. 13. Pirh. n. 11. docens communem tam Theologorum, quam Canonistarum sumentes illud ex c. Agathosa 21. caus. 27. q. 2. junctà gl. ibid. v. vel ipsa. item ex c. ex parte h. t. Quòd si verò maritus de licentia uxoris nec religionis ingressum, nec continentiam promittentis, professus fuerit, non obstante validitate professionis, revocari potest, non quidem ab uxore autoritate proprià, aut per actionem propriè dictam, utpote quam non habet amplius post concessam ei licentiam, sed implorato officio Judicis, allegato periculo incontinentiæ, ex Canonis constitutione, ut *Abb. in cit. c. 1. n. 8. Sanch. cit. d. 33. n. 18. Azor. p. 1. L. 12. c. 1. q. 6. §. si querat. Pirh. h. t. n. 15. Barbol. ad c. 8. h. t. n. 4. & 5. ac ita ab R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III.**

Episcopo revocari potest, ut ad uxorem redeat, & revocatus, etsi debitum exigere nequeat, cum maneat obstrictus voto solenni castitatis, reddere tamen illud debet uxori, utpote quæ nullum votum castitatis edidit, neque dando licentiam juri suo conjugali legitimè renuntiavit. *Abb. in c. 8. h. t. n. 8. Sanch. l. c. n. 6. Pirh. h. t. n. 12.* ita tamen, ut uxore mortua, aliud matrimonium contrahere nequeat, sed cogatur ad monasterium irrevocabiliter reverti juxta *c. ex parte h. t.* Sed neque est huic revocationi locus, si uxor concedens licentiam, manens in sæculo, perpetuam continentiam vovit, sive sit senex & non suspecta de incontinentia, sive juvenis, & de ea suspecta; dando enim licentiam & simul vovendo continentiam jam penitus & legitimè suo juri conjugali renuntiavit, adeoque frustra est revocatio, quæ aliàs conceditur, ad consulendum incontinentiæ illius; cum ea nec exigere nec petere possit debitum. Ita *Arg. c. 1. h. t. Abb. ibid. n. 8. Fagn. n. 2. Sanch. l. c. n. 9. Pirh. n. 13.* quemadmodum nec illi revocationi locus est, dum uxor manens in sæculo non edito voto continentiæ, conscientia est juris disponentis, virum non posse irrevocabiliter profiteri, nisi ipsa concedens licentiam intret religionem, si juvenis est & suspecta; vel voveat continentiam, si senex est, non suspecta; juxta *cit. c. 1. & Abb. ibid. n. 4. & 8. Sanch. n. 14. Barb. in c. 9. h. t. n. 4.* Ex e ratione, quod conscientia istius juris dando licentiam censetur se obligasse ad id, quod jus requirit; cum, qui vult aliquid, censetur velle omne illud, sine quo volitum obtineri nequit. Secus est, si uxor dicti juris ignara fuerit. Cujus contrarium esse in viro concedenti licentiam uxori, sive is conscius dicti juris fuerit sive ignarus; cum in eo non præsumatur aut excuset ignorantia juris saltem in foro externo juxta *reg. Jur. 13. in 6.* adeoque illum concedendo licentiam censeri tacitè vovisse continentiam. *Arg. sumpto ex c. qui uxorem caus. 33. q. 1. sentiunt Abb. in c. 1. n. 9. Sanch. cit. n. 14.* quamvis alii cum *Gl. inc. 1. & Jo-and. in c. ex parte h. t. n. 4.* apud *Pirh. l. c.* non improbabiliter teneant, generaliter & indistinctè uxorem, si liberè consensit, & non vovit continentiam, posse revocare virum professum; cum ea revocatio indistinctè in hoc casu concedatur uxori per *cit. c. 1.* Pontifice fundante se in illa concessione licentiæ absque voto continentiæ, & non ignorantia illa juris, de cætero si fiat hæc revocatio ingressi in religionem, ab uxore etiam post concessam antecedenter licentiam, dum res adhuc est integra, nimirum tempore novitiatus, seu dum necdum professus, professio non valebit, ut *Pirh. n. 15.* cum *Sanch. loc. cit. n. 19.* cum data illa licentia videatur eousque revocabilis, actuque revocetur per revocationem mariti è monasterio ante professionem, atque ita revocatus ad uxorem redire debet, etsi hæc votum continentiam emiseric; cum id censetur emissum dependentè à professione secutura, ipsa non secuta cesset obligatio ad votum ob defectum conditionis. *Pirh. h. t. n. 9.* Unde & à redeunte petere poterit debitum, è contra tamen in casu, quo à conjugè aut ad ejus instantiam revocari potest professus, non potest is proprià autoritate exire, quia verè professus est. *Sanch. cit. d. 33. n. 15. Barbol. in c. 8. h. t. n. 5.* sed neque qui sine alterius licentia professus posse proprià autoritate religionem deserere, altero non repente docent *Abb. inc. 12. n. 3. Nav. h. t. conf. 3. n. 3. & alii apud Barbol. in cit. c. 12. n. 4. Contrarium apud*